gidiſſimorum inſtar duo lumina faciem illuminent? quis
obſecro locus unquam in terris ad aſpectum naſcentis ſolis
tam illuſtribus ac pretioſis illuſtratus eſt gemmis? Ut vultus
iſte quaſi gemino ſidere arriſit? Labia vero lactea, et
mellea ſunt, nam mel, et lac ſub lingua eius, tota mellea
eſt, tota lactea eſt, nil fellei, nil acidi, nil aſperi, tota
formoſa, tota ſuavis, benigna, candida, et ſincera. ſpirat
odorem gratiſſimum liliorum folia, meliorem aromatum
faſciculi, optimum, nobiliſſimumque balſami arbuſta. Cando-
rem ſuum ebur ex abſtruſis Indiarum ſaltibus venditet, ru-
borem roſis non adimo, pomis concedo, non veſtros vobis invideo
colores Narciſſi, nec veſtram reprehendo varietatem Tulipa, tamen
ne cum inaeſtimabili virginei oris fragrantia, qua quaſi ager
plenus omnem excedit aromatum ſuavitatem, contendere velitis
aut cum lacteo dentium candore, et ebure, et nive puri-
ſſima puriore, aut cum purpureo genarum rubore qui non
roſas duntaxat, et poma indicat, ſed poma aurea, nec de
muſcoſis arboribus pendentia, ſed in lectulis argenteis cub-
antia; vel denique cum ſuaviſſima colli gracilitate, gravi
humerorum decentia, brachiorum teneritudine, manuumque
lenitate ipſam roſarum Narciſſi, Tulipae, violarumque longe
exſuperantibus, et ruborem, et gracilitatem, et varietate
teneritudinemque ſingularem. Ecquid vero duobus illis uberum
fluminibus dulcius? quid delicatius? quid ſuavius? Eſſe fontib.
qui non oblivionem inducant, ut quidam fontes in Boeotia